



R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia

Tamburini, Tommaso

Lugduni, 1689

§. 1. Tres principales divisiones donationum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

7. Tertiò, is, qui tempore promissionis erat amicus, si ante traditionem superveniat inimicitia mortalis, non tenetur ad promissionem, quia in promissione semper imbibitur, ex mente interpretativa promittentis, earentia tantæ inimicitiae, esto peccet aliquando peccato scandalali, &c.

8. Quartò, sponsi non tenentur ad servandam promissionem sponsalium, si res notabiliter mutentur. Sed de hac re nos fusi in tract. de sponsal. diximus lib. 8. matrim. tract. 3. cap. 5. §. 8.

9. Quintò: Is, qui alteri promisit pecuniam, etiam in elemosinam, & deinde incidit in egestatem, non obligatur illam elargiri, &c.

10. Sextò: Si alicuius filius est in gravem infirmitatem lapsus, unde assistentia Patris indigeat, non tenetur Pater ad exequendas illas operas alteri fortè liberaliter promissas, quæ ejusmodi assistentiam impediunt; siquidem intendere filio, est præceptum, promissio illa fuit voluntaria; Immo tanta posset esse ægrotantis necessitas, ut etiam alias obligationes ex præcepto superare posset, ut suo loco in tract. de legibus explicari solet.



TRACTATUS X.

DE

DONATIONE.

CAPUT PRIMUM.

Quid sit Donatio?

§. I. Explicatur natura Donationis.



VAMVIO, ut superius diximus, Promissio acceptata multis assimiletur, conveniatque cum Donatione in futurum item acceptata, sed ante rei traditionem: tamen differunt etiam permixtè in multis. Nam promissio intendit dare, & solum dat jus ad rem promissam, illud tamen ex se esse leve, quantum est ex virtute fidelitatis, diximus in tractatu de Promissione. At donatio etiam in futurum intendit dare, & dat rem ipsam, transferitque dominium in donatarium pro tempore præfixo.

Aliqui autem dicunt, per donationem, re nondum tradita, perfectè transferri dominium rei donatæ in donatarium: Solum enim remanet obligatio tradendi rem, quam traditionem non vocant donationem, sed executionem factæ donationis.

Alii verò dicunt, per dictam donationem, re nondum tradita, transferri dominium initiativè, cum autem res traditur, transferri perfectè, & tunc perfectam vocari donationem. Vt ex his modis loquaris, perfectò ad praxim parum refert, vel nihil.

2. Hinc quando Bonacina de contract. d. 3. quest. 12. punct. 1. m. 2. alique docent, si dicam: *Dono tibi librum, quem habeo domi, unde nunc non trado*, non transferri dominium libri in te, quia, inquit, ita jus positivum disponit; transferri autem, si librum tibi trado, quando inquam, sic docent, intelligitur, si intelligere debent non transferri cum effectu, seu executione, vel non transferri, nisi initiativè, & non perfectè, modo jam explicato.

3. Jam verò donatio definitur communiter solet, esse, *datio liberalis*, si enim quid detur ex obligatione, seu debito iustitiæ, jam donatio non erit, sed vel venditio, vel restitutio, vel quid simile. At (ut verum fatear) hæc donationis descriptio potius est nominis explicatio, quam d. definitio, qui enim, vel tenuem latinitatibus

nitorem attigit, jam cognoscit, donare, nihil aliud esse nisi liberaliter dare. Et nihilominus nobis ad præsentem intentionem artificiosè definitionem non est opus. Leg. illam apud Onaren, tom. 2. de contract. §. 1. dub. 30. sect. 1.

§. II. Quantum obliget Donatio?

UT id distinctius cognoscatur (& faceret etiam majorem explicationem præcedentes doctrinae, quatuor diligenter sunt distinguenda.

1. Primò enim, sic potes hæc animo dicere: *Promitto tibi librum, ex quo habeo donare*.

2. Secundò, sic: *Donabo tibi librum*.

3. Tertiò: *Dono tibi librum, quem domi habeo*.

4. Quartò: *Dono tibi librum, & nunc illum trado, illamque re ipsa tu recipis*.

5. His distinctis: Prima ex his Promissio simplex est.

6. Secunda est item simplex Promissio, idem cum ea dicere: *Donabo tibi librum*, ac promitto, tibi librum donare: id quod, cum nihil aliud sit, nisi Donatio in futurum, rectè ab aliquibus dicitur esse promissio donandi.

7. Tertia est donatio transferens dominium rei donatæ in donatarium, siue, ut aliqui loquebantur, *peractum*. 2. sine ultimo effectu, seu executione requiritur ad hujusmodi donationem, siue, ut aliqui ibid. loquebantur, initiativè.

Quoniam verò in hac donatione nondum addi debet traditio, ideo à Iurisperitis hæc vocatur donatio, quæ non incipit à traditione, ut etiam appellatur promissio rei donatæ: donatur enim per illam res, & simul tacite promittitur tradi.

9. Quarta est donatio perfectissima transferens dominium simul, & possessionem, vocaturque ab illis Iurisperitis donatio, quæ incipit à traditione, quæ certe nullam promissionem in se, ne tacite quidem includit, cum omnia sint jam exhibita, translatio nimirum donarii, & possessionis traditio in donatarium.

10. Ex his ergo quatuor dispositionibus: Prima, si secunda, si sint acceptatæ, quæ ratione pariant obligationem, siue ex fidelitate siue ex iustitia, dictum est superius, cum de promissione disputatum est.

11. Tertia si sit item acceptata, parit semper obligationem sub mortali in materia gravi, nec poterit donator illam revocare sine iniustitia, obligaturque rei sic donatæ possessionem, vel statim, vel certè præfixo tempore, si præfixum fortè aliquod fuit, tradere. Ratio est manifestissima, quia per hanc donationem translatum est dominium in donatarium, siue perfectè, siue initiativè, juxta vana dicendi modos jam explicatos. Ergo donatio sua re tradi semper debet ex iustitia, præscindendo à causis propter quas ejusmodi donatio revocari potest, de quibus inferius dicendum erit.

12. Quarta denique semper, pari, imò fortiori modo, parit obligationem sub mortali, non molestandi modum donatarium, res enim donata non solum est in Dominio, sed etiam in legitima possessione donatarii, præscindendo item à causis, ob quas possit revocari, de quibus inferius.

CAPVT II.

De Divisionibus Donationum.

§. I. Tres principales Divisiones Donationum.

1. **Prima Divisio.** Alia est donatio merè gratuita, quæ scilicet, nulla præcedente obligatione, & prorsus sine ullis meritis donatarii, exhibetur à donatore. Alia remuneratoria, quæ scilicet fit ex aliquo obligatione, non quidem iustitiæ, sed gratitudinis quæ virtus tendit ad remuneranda Beneficia juxta communem naturam.

mensuram; Beneficia, inquam, jam facta non faciendae, de qua re lege Dianam *part. 8. tract. 6. resol. 115. v. Notandum est*. Ad donationem autem remuneratorem satis esse, si donator dicat, se donare ob merita donatarii, nec opus esse, ut merita probentur, idem *ibidem resol. 116.* docet.

2. *Secunda Divisio*. Alia est pura, id est, sine ulla conditione, seu limitatione. Alia non pura, id est, cum limitatione loci, temporis, &c.

3. Subdividitur autem donatio non pura in donationem conditionalem, ut: *Dono tibi equum, si hoc, vel illud facias*; & in Donationem in diem, ut: *Dono tibi equum, non nunc si vis, sed post meam mortem, post aliquot annos, &c.*

4. Et haec quidem donatio in diem, iterum subdividitur: Alia enim est in diem certum, qui scilicet certus erit, siue illum determinat sciamus, quando veniet, siue ignoremus, ut: *Dono tibi equum post meam mortem, vel post annos quinque*. Alia est in diem incertum, quia scilicet incertum est, an unquam adveniet, nam propterea ejusmodi donatio tandem resolvitur in conditionatam, teste Molina, in *summa d. 205. ut: Dono tibi equum pro eodem tempore, quo nupseris, quo Romanus adieris, &c.* sensus enim est, si nupseris, si adieris Romanam, &c.

5. *Tertia Divisio*. Alia est donatio inter vivos, estque ea, quae donator transfert dominium rei in donationem in vita ipsius donatoris, quam certe solent aliqui donatores facere revocabilitate, ita ut illam possint revocare, quando velint, aliqui irrevocabilitate, ita, ut eam amplius revocare non possint. Alia est donatio causa mortis, estque ea, quae donator transfert dominium rei donatae in donatarium post mortem suam, id est, ipsius donantis.

6. Vbi vides, proprie loquendo, donationem factam siue in sanitate, siue in Testamento, siue in periculo mortis, &c. si per eam donans statim transferat dominium rei, esse donationem inter vivos, si post mortem, esse donationem causa mortis. Lege *Onu. l. 1. c. 2. de contr. tr. 10. d. 3. §. 1. & 5. Vadium tract. de contr. d. 3. d. 9. per tot. Bonac. d. 3. de contr. all. quest. 14. part. 1. num. 20. Clar. apud Bonac. cit. negantem aliquid ex dictis, Azor. 3. p. lib. 11. c. 11. §. 4. alioque, nec omittatur Molina d. 287. num. 22. qui recte percurrit signa, & conjecturas, quibus dignoscatur, an donatio sit inter vivos, an mortis causa, quando delint verba expressa, quae donationem hanc, vel illam noceant. Sed certe non erit inutile hic aliqua ex dictis signis summam afferre.*

Signa Donationis inter vivos, causa mortis.

7. Primum, si donas quid, sed transfereundo executionem ejusmodi donationis post mortem, tuam donationem facis inter vivos, quia jam nunc donas, & solum donationis effectum illum, seu complementum differs, quod explicavimus *capite 1. n. 1.*

8. Secundum, si absolute dones, nihil aliud addendo, donationem facis inter vivos, quia donare sine addito, est nunc donare.

9. Tercium, si absolute dones, quando es aegrotus, etiam cum eo periculo mortis, quo verosimile erat, te ob mortis metum fuisse inductum ad donandum, donationem facis inter vivos quia etiam donare nunc potes, dum es infirmus; Si ergo aliud non expressisti, inter vivos donasti. Excepi, nisi donator ejusmodi donationem, quam donatarius, nec per se, nec per legitimam personam accepit, apposuerit in Testamento, vel Codicillo, tunc enim ea donatio inducet rationem Legati, estque causa mortis, unde, ut mox dicitur, revocari potest.

10. Quartum, si dones cum addito, post mortem meam, vel si ex hac infirmitate moriar, vel si ex navigatione & vi discessero, clara est donatio causa mortis, immo, quando in donatione facta est mortis mentio, propendendum est ad pronuntiandum, eam esse causa mortis, nisi aliud clare appareat in contrarium.

Par. III.

11. Quinto, si donatio facta est coram quibusque Testibus, cum solemnitate scilicet, requisita à Testamento, vel Codicillo, magnum est signum, esse causa mortis id enim persuadet solemnitas propria ultimatum voluntatum, inter quas numerandum esse donationem causa mortis, mox dicemus §. 2. n. 10.

12. Sexto, contra, si donatio facta est coram duobus Testibus, signum habes donationis inter vivos, etiam si executio ejus, ut dictum est n. 7. differatur ad finem mortis, quia id persuadet solemnitas sufficiens ad donationem inter vivos. Adde, semper pronuntiandum, ut actus valeat potius, quam pereat, si periret, seu irrita esset dicta donatio coram tam paucis Testibus facta, nisi censetur esse inter vivos.

Quando omnibus expensis, adhuc dubitatur, qualis sit donatio, qualis sit censenda, dixi *supra lib. 8. matr. tr. 7. c. 2. §. 1. n. 15.*

Quando autem dubitatur de ipsa donationis substantia, hoc est, an ipsa fuerit facta, dixi *l. 1. in Dec. lib. 3. c. 7.*

§. II. Explicantur magis praedicta Donationum Classes.

Res promissa uni alteri tradita.

1. Dico primum, si promissisti mihi acceptanti equum, v.g. donare, & deinde (sanè cum culpa contra Promissarium *superius* explicata) donasti alteri eundem equum, sequuta traditione, hic alter dominum habet, equi, ego autem possum duntaxat, & debeo habere interitus, si quod passus sum, & n. l. praeterea. L. g. quae dixi *c. 7. de promissione, §. 5. n. 30.*

Prohibita Donazione, non prohibetur Remuneratio.

2. Dico secundum, si à Principe prohibeatur donatio, ut prohibuit Clemens VIII. Religiosis Donationes, & ut prohibet Ius Civile donationes inter conjuges, gratuita solum prohibita censetur, non verò remuneratoria; quia haec aliquantum deficit à propria donatione, quae propria, tota, quanta, quanta est, fundatur in liberalitate, nec oriri debet ex ullo debito etiam gratitudinis: prohibitio autem alicujus rei, cum sit odiosa, restringenda semper est ad rem maxime proprie talem. Ita Sanchez *lib. 6. matr. d. 6. num. 1. & 2. Dian. part. 1. tract. de Pauper. Relig. res. 15. & 16. & p. 8. tract. 6. resol. 115.* aliquae contra nonnullos alii codum citatos. Lege etiam Delugo *d. 23. de Inst. n. 131.*

3. Inquires: Si ego donavi aliquid Titio, is autem ob gratitudinem aliud mihi retribuit, si deinde ego aliud quid eidem Titio donavero, estne haec secunda donatio remuneratoria, an gratuita?

Respondco: Est gratuita, quia tu sine ullo debito donasti secundo: Donatio enim Titii, cum non fuerit, nisi ad te remunerandum, non potuit ponere novum debitum in te, sed extinxit suum. Quare tu secundo omnino gratis donasti.

4. Quid, si Titius excessit in retribuendo?

Respondco: Tunc certe erit gratuita, & liberalis ejus donatio secundum hunc excessum, & consequenter, secundum ejus excessum mensuram, erit remuneratoria tua secunda donatio.

5. Subinquires: Quantum debet esse hic excessus, ut dicatur gratuita in retribuente, seu, qui dici possit meritis praecedentibus non aequipollere?

Respondco: Id certa lege definiti non potest: nam: quanvis aliqui censeant, quicunque excessum esse gratuitum, satis enim (aiunt) per aequale sit debita retributio, aliqui verò velint gratitudinem postulare, ut plus semper reddatur, quae est sententia Aristotelis, 8. *Ethic. & Sancti Thomae, 2. 2. q. 106. art. 6. cui adde Sence. l. 1. de Benefic. 18.* quod plus, Sanchez, *l. mox cit. & Diana part. 1. tract. de Pauper. Relig. resolut. 16.* dicit, esse probabile, quod debeat esse, ut aliqui dixerunt, in dimidio, ut si recepisti decem, debeas retribuere decem, & quinque.

G g 3 Q uantvis